Sapenkowicz Alb: Quaestio metaphysica de praeciso entis conceptu.

QVÆSTIO METAPHYSICA,

DE

PRÆCISO ENTIS CONCEPTV.

IN ALMA ACADEMIA CRAcouiensi ad disputandum.

Mense Augusto. Die 9. Hora 10.

A

M. ALBERTO PAPENKOVICZ Scholæ SS. Corporis Christi Seniore

proposita.

PERMISSV

Magnifici Domini RECTORIS.

CRACOVIÆ,

In Officina Francisci Cæsarij, Anno humanæ salutis. 1639.

IN STEMMA
INCLYTÆ DOMVS TARLOVIANÆ.



SArmaticæ Gentis quæ fundamenta dolauit
  Ascia, principijs nobilitata pijs.
Nunc etiam sacrosq; focos, patriosq; Penates
  Atq; adeò properum dedolat ingenium.
O decus antiquum quo non antiquius vllum
  Perge laboratis reddere dona viris.
Quo magis illustras lustraueris Ascia Musas,
  Maior ab inde tui, fulgor vbiq; manet.

Perilluſtri & Adm. Rndo. Domino,

D. ANDREÆ TARŁO DE SCZEKARZEVICE,

PRÆPOSITO ET OFFICIALI *perpetuo Tarnouienſi, Decano Opatouienſi, Canonico Cracouienſi, &c. &c.*

Domino & Patrono longè fauentiſsimo, S. & P.

*L*Vcubrationis meæ ſpecimen dum in lucem publicam celeberrimi noſtri Lycæi emitto, Tui quoq; iuris facio Perilluſtr. & Adm. Rnde. D. Huic pietati vires ſubminiſtrauit Illuſtris Familiæ Tuæ ſplendor, quo coruſcas, tum quæ inſita eſt heroicæ indoli humanitas, & qui valet ad laudem nominis immortalem eximius amor literarum. Vt enim mundi hic ocellus Sol, quo altius ſe ſe effert, eo radios ſuos copioſius ſpargit, in inferiores terrarum regiones; ſic animi generoſi quo ſublimiori ſunt in gradu honoris conſtituti, eo magis prodeſſe ſtudent mortalibus, Ac quoties Maiores Tuos Clariſſimos noſtræ Reipub. Ciues conſidero, toties virtutes eorum excellentes quas effinxiſti Tu, ſimul in ijs mihi videor intueri. Magni ſemper fuerunt Comites à Tęczyn, gentilicij Veſtri Prodromi, Magni Proceres Tarłones, quia non obliuionem ſolum antiquitate, ſed etiam proteruam illuſtri virtute inuidiam ſuperârunt. An cum his Polona gens, an per hos gloriæ incrementa habuerit, adhuc dubium eſt

 bium eſt

bium est & incertum, illud tamen est certissimum, vestram Asciam, ante humanitatis in Polonia originem, prima Reipub. fundamenta dolasse, vt nitidior libertas surgeret. Quid de meritis Tui Patris Castellani Sandecensis, quid de praesenti Vestrae Gentis gloria dicam, quam Theophila Germana Soror Tua Perillustr. Domine propagauit, dum Vobis amplissimam Domum Ostrogiam affinitate coniunxit, virtutibus dotauit, vitae constantia illustrauit. Quid de Tua pia & Illustri proferam liberalitate, quam in Templis ornandis, pauperibus subleuandis, viris literatis promouendis toties probasti. Quid de rerum agendarum solertia, quam Magnus ille Mecaenas Academiae PETRVS TYLICIVS in Te perspexit, & approbauit. Sentit & agnoscit Tuam beneficentiam Tarnouiense Collegium atq; Templum, multis à Te sacris vestibus instructum & illustratum. Sentio & ego humanitatis Tuae diuitias, quas Tu in me liberalissimè, dum per triennium Tarnouiensem regerem Palaestram, effudisti. Sentiunt Academicae Camenae Tuum fauorem, & candorem singularem, omniaq; Tibi fausta, prospera, felicia, vnà mecum vouent, & comprecantur.

Perillust. & Adm. R. Dnationis Vestrae

obsequentissimus

M. Albertus Papenkowicz,
Philosophiae Doctor.
& Professor.

QVÆSTIO
DE
PRÆCISO ENTIS CONCEPTV.

V. ENS tàm ſecundum eſſe rei, quàm quo ad eſſe ſcibile conſideratum, habeat conceptum à ſuis inferioribus ſimpliciter præciſum, nec ne?

CONCLVSIO I.

Entis in eſſe rei ſpectati, non datur Conceptus Obiectiuus ab inferioribus, ſimpliciter præciſus,

COROLLARIA I.

Nulla Enti in eſſe rei, ad ſua inferiora, Vniuocatio poteſt competere.

II.

Nec tamen propterea nomen Entis purè æquiuocum debet dici.

III.

Ens in esse rei, ob generalissimam rationem esse Analogicum, cum Philosopho tenemus.

IV.

In Ente secundum esse rei considerato, Analogia, tàm Attributionis, quàm Proportionabilitatis inuenitur.

CONCLVSIO II.

Nil vetat, Entis secundum esse rei spectati, dari Conceptum Formalem, imperfectè præcisum.

COROLLARIA

I.

Ratio Obiectiua Entis, nostro Conceptu Formali repræsentata, inuoluit Conceptus inferiorum.

II. Talis

II.

Talis Entis Conceptio, non obstat, quo minus Ens dicatur habere passiones ratione à se distinctas.

III.

Conceptus Formalis Entis, à Conceptibus inferiorum differt.

IV.

Alio Conceptu Formali repræsentatur ipsum Ens, alio illius passiones.

CONCLVSIO III.

Ens quatenus Scibile est, habet Conceptum præcisum, à suis inferioribus.

COROLLARIA

I.

In Ente quatenus scibile, vniuocationem, ad sua inferiora admittimus.

II.

Entis, vt scibile, abstractio, ab ininferioribus; est Formalis.

III.

III.

Optimè Philosophus Ens, vt scibile, divisit in Ens, vt Ens, in Ens Mathematicum, & Ens Mobile, tanquam in Species distinctas.

IV.

Qui rationem Entis secundum esse rei spectant cum ratione, quatenus scibile confundunt, non possunt rectè de Obiectis Scientiarum Formalibus philosophari.